Scire mori est paratum habere cor et animam omni tempore ad super-
na ut quandocumque mors venerit paratum eum inveniat, ut
absque omni retractatione eam recipiat, quasi qui socii sui dilecti
adventum desideratum expectat. Sed proh dolor in nonnullis et religiosis sicut
et in saecularibus viris, valde multos invenies qui mortem hanc tantum
abhorrent, ut vix eius aliquid admittere velint, discedere ab hoc mundo
nolunt, quia scire mori nondum didicerunt. Sed in vaniloquiis et iocis
et scurrilitatibus ac ceteris similibus supervacuis rebus, multum de tempore
suo expenderunt. Et ideo cum extemplo mors supervenit quos male
paratos invenit, miseram animam de corpore rapit et ad gehennam deducit,
sicut et quondam. O lector frequentius forte mors tibi fecisset inposi-
tam, et te secum abducere volebat, si manus miserationis divinae non obsti-
tisset. En ergo nunc vana vanis relinquas, et intellige similitudinem
hanc quam tibi propono. Constitue ante te similitudinem iuvenis pul-
cherrimi qui morte praeventus in proximo moriturus erat, et de salute
animae suae nihil disposuerat, qui et huiusmodi voce miserabiliter
clamabat: Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni
circumdederunt me. Heu me deus meus, ad quid in hunc mundum
nascebar? Natus ex utero cur non statim perii? En principium vitae meae
fuit cum fletu et dolore, nunc ante finis et exitus meus exstant cum
miserabili planctu et maerore. O mors quam amara est memoria
tua cordi iocundo et in deliciis enutrito. Horribilis siquidem est prae-
sentia tua ei qui aetate iuvenis et robore fortis, potius successibus pro-
speris. O quam parum credidissem quod tam cito mori debuissem. Sed nunc
o mors misera, repente quasi ex insidiis irruisti super me, comprehendisti
atque mille funibus ligasti, et in vinculis ferreis tecum traxisti, sicut trahi
solet damnatus ad supplicium mortis. Nunc ante prae dolore mortis
complosis manibus ingentium emitto, cupiens mortem fugere, et non est locus
diffugiendi. Circumspicio ad omnem plagam et deficit consiliator et adiu-
tor. Ut iam video fixa est sententia et mutari non potest. Vocem mortis hor-
ribilem audio tonantem atque dicentem: Filius mortis es tu. Nec opes n
ratio, nec cognati nec amici valebunt te liberare de manu mea. Venit
enim finis, decretum est et fieri oportet. O mi deus, oportet me nunc mori?
Non potest ut video haec sententia mutari. O mortis immensa crudelitas. O
impietas et indignatio miseranda, parce quaeso parce iuventuti, parce
nondum maturatae aetati, nec sic crudeliter agas, nec me subtrahas ab
hac luce tam improviso. Sed ista tamen frustra mortem timenti. Posset
aliquis respondere et dicere: Frustra, quia certum est iudicium mortis, personam non
accipit, nec alicui parcit, sed se aequaliter omnibus condimidit. Nec iuvenis
aut senis miseretur, ignorat nobiles et potentes, non veretur divitem
et pauperem aliter perdit. Quinimmo plures ante perfectam complexionem